

impressis, quâ Paulus quintus vocatur *omnipotentia Pontificia & conservator acerrimus.*

Distributio verbalis est vel vocis, vel orationis ambiguæ.

Distributio vocis ambiguæ est, quâ vox incompleta diversas res significans, distinguitur in sua significata: ut, *philosophia, fides, justitia, justificatio.*

Distributio orationis ambiguæ est, quâ oratio diversas res significans distinguitur.

Sæpè namque occurrit sententia, quæ diversum sensum & interpretationem admittit: ut edere carnem Christi, descendere ad inferos, sedere ad dextram alicujus.

Cap. 3. Leges perfectæ distributionis.

Distributio realis sequitur, quâ totum reale in suas partes resolvitur.

Eius traditur tum **divisio**, tum **methodus**.

Divisio, quòd sit **perfecta**, vel **imperfecta**.

Perfecta est, quâ totum per se in suas partes resolvitur.

Eius tum **leges**, tum **species considerandæ** sunt.
Leges distributionis hæ sunt.

1 *Subjectum rei non debet fieri membrum distributionis:*

Ut Medicina non debet distribui in morbos & remedia; nec Theologiæ partes constitui debent Deus, & opus Dei. Hæc enim est subiecta medicinæ & theologiæ materia. Quapropter sic dicendum; theologiæ partes duæ sunt, prima est de Deo, altera de operibus Dei. Possunt tamen illæ formulæ excusari, si quis dicat esse præcisionem.

2 *Distributio verbalis non confundatur cum reali.*

Quando igitur dicimus, Theologia est vera, vel falsa; non statuen-